66.

ACTVM,

IN QVO

DE

COMMENTITIIS QVIBVSDAM ET DVBIIS IN HISTORIA PERPESSIONIS CHRISTI OCCVRRENTIBVS SENTENTIIS,

IPSO SOTERIORVM DIE

ANNO REPARATAE SALVTIS

cIↃ IↃ ccXVI.

H. L. Q. CONSVETIS

NONNVLLI GYMNASII THORVNENSIS

IVVENES

VERBA FACIENT,

INDICVNT,

EIVSDEM MODERATOR

PETRVS IAENICHIVS, *Rector*,

IVXTA ET

PROFESSORES.

T H O R U N I I,

Impressit Ioh. Nicolai, Nobiliss. SENAT. & GYMN. Typogr.

NEſcire fabulas,levis quidem eſt iactura & damnum,ac pro tanta aeque felicitate putandum, atque illa habetur,ſcire, eas eſſe eiusmodi, quae rerum geſtarum fidei, & documentis incorruptae antiquitatis repugnant. Hac ratione, qui aetate nos praeceſſerunt, non pauca quam feliciſſime potuerunt ignorare, a quorum iam peſte metuendum eſt, ne, obtrito veritatis nitore, puerilis ſuperſit fucus, aut inepte coacervata moles ridiculae narrationis. Cuius efficacia & vis maior ſaepius eſt, quam ut profligari ſapientiorum opera & labore poſſit, quinimo tanta aliquando quaſi rabies ac pernicies eſt, ut ipſa haec falſi vetuſtas longi temporis autoritatem eripiat veritati. Sive iam antiquiorum recordari velimus temporum, ſive reſpicere ad recentiora, ubique quidem non temere olim dixiſſe ſtrenuum diſciplinae Platonicae ſectatorem, Maximum Tyrium, apparet, Poetas primos eſſe, qui non tantum ſapientiam ſuae genti tradiderunt, ſed & facta deſcribere eius auſi ſunt. Verum enim vero, illi ipſi quoque, quod afflatu divino crederentur ad ſcribendum incitati, extiterunt, qui fabuloſo artificio, cum mortalium res monumentis commendarent, veritatem obſcurarunt. Condere poſtea alii, quando ſtuduerunt hiſtorias Oratione proſa, in multarum poſſeſſionem vanitatum acceptarum venerunt. Difficile enim erat ſtatim, quae fingendi licentia in fidem fere converterat, ſegregare. Neque minus moleſtum nunc eſt, ex caligine, quae priſci aevi premit ſecula, ſine errandi culpa eluctari. At neſcio, an non magis torqueat animos in tanta diſſentientium ſaepe conflictantiumque Hiſtoricorum copia, ſimplicem veritatem occupare, an, erumpente fraudis & mendacii ſuſpicione praetermittere falſa? Non hic animus eſt, accuſare fidem omnium ſcriptorum, aut doli maculam impingere, a quo immunes quidem multi fuerunt, non tamen ab errore omni & naevis. Namque nemo eſt, quin fateatur, alios partim ex ignorantia & ingenii imbecillitate lapſos eſſe, partim credula ſimplicitate deceptos: Multa alios invidia, odio, utilitate & amore ductos, ad ſui habitum animi immutaſſe deprehendimus, ſilentio involviſſe plurima, aut, de induſtria, aſcitis in veri ſocietatem mendaciis, inani fallendi ſtudio poſteritati nocuiſſe. Notius eſt, quam ut latius explicem, quantorum coarguant mendaciorum Eruditi vetuſtiſſimae aetatis ſcriptorem, Herodotum. Quod vero magis mirandum, ex minoribus Auguſtae Hiſtoriae Scriptoribus Flavius Vopiſcus fraudis maximae auſus eſt accuſare Livium, Salluſtium, Tacitum, Troium, inſignes doctrina & ingenio Scriptores. Huius tamen frivolam eſſe inſectationem, oſtendere conatus eſt non vulgaris doctrinae vir Muretus, Herodoti etiam patrocinium ſuſcipientibus non paucis. At vero libenter hic praetervehi volumus ampliſſimum cum Eruditis conquerendi locum de Scriptoribus aliis, qui Graecorum, Romanorum aliorumque populorum res geſtas & facta conſignarunt, cum inſtituti tantum ratio ſit, verſari in eiusmodi argumento, quod ſacram Hiſtoriam propius tangit. Equidem poſſumus laetari documentis divinae providentiae, qua factum, ut vera myſteriorum capita ac religionis momenta ſacro codice comprehenſa, inter decumanos adverſarum tempeſtatum fluctus feliciter eluctata tranſierint, veritasque coeleſtis duraverit ad hoc tempus ſemper victrix. Utinam vero nulla ſupereſſet fraudis aut erroris ſuſpicio, in quam multorum ſcripta, quae de ſacro argumento aut coetus divinioris rebus agunt, inciderunt. Multa enim primorum ſeculorum monumenta aut fallaci inimicorum aut aliorum intempeſtiva induſtria ſunt ſuppoſita: alia adulterae manus inverecundia interpolavit: pauca autem certa & indubitata ad nos pervenerunt: multa etiam iniuria temporum abſumpſit. Ita egregii ſane eorum fuerunt labores, & Eccleſiae univerſae profuturi, quorum mentionem iniicit EVSEBIVS, HIERONYMVS & alii, de quibus ſoli tantum tituli & nomina ſuperſunt. Equidem facile aſſentior Origeni, adamantinae ſedulitatis Viro, quando contra Celſum, peſtilentiſſimi ingenii hominem, eccleſiae Doctorum parſimoniam in ſcribendo defendit, eosque a culpa

negligen

neglientiae ideo eximit, quod innocentia vitae, morumque honestate potius, quam pigmentis oratoriis more aliorum, meliore luce carentium, propagandam Christi Doctrinam retinendamque esse existimarint. Sive enim vexationum pericula intuemur, quae quotidie instabant, sive inopiam & labores, vitaeque miserae aerumnas, sive hostium internorum, cum quibus erat colluctandum, artes & imodestiam, vix tantis malis distracti animum ad scribendum applicare potuerunt. Quicquid etiam extat lucubrationum, luculentius praesidium est incorruptae doctrinae & sanctimoniae, qua floruerunt, morum, quam accurata series rerum in ecclesia gestarum, aut exemplum iustae narrationis. Si quis autem affirmare vellet, fraude & audacia hominum, nequiter posteris consulentium, abolita nonnulla optimorum Doctorum monumenta esse, equidem non repugnarem, quinimo contendere vellem, esse certissimas veritatis ruinas, & indubitata diversitatis ab surripientibus argumenta. Improbitate non vacat hoc studium conservandi dubia & futilitatem propagantia scripta, supprimendi autem verioris doctrinae praesidia & documenta. In quorum numero sunt Papiae, Episcopi Hierapolitani libri quinque: Quadrati Atheniensis & Aristidis Apologiae, Castoris Agrippae opus contra Basilidem: Hegesippi, Melitonis, Sardensis Episcopi, Dionysii Corinthii, Apollinaris Hierapolitani opera: Pinyti Cretensis, Philippi Rhodonis, Miltiadis, Apollonii, aliorumque monumenta, quae iam praeteriti temporis simulacra sunt, & fere prorsus ignorata, nisi Eusebius, qui primus res Ecclesiae Christianae iusto ordine concinnare est aggressus, nomina tantum indicasset. E contrario, quam uberrima seges extra veritatis vallum est eorum, quae non satis custodita & vitiosa sentiendi conservavit libido? Enumerare haec supervacaneum esse duco pariter & molestum, nisi, quod de diligentissimis & insigniter doctis adiiciam viris, sigillatim ANDREA RIVETO, ROBERTO COCO, GVILELMO CAVEO, I. ALBERTO FABRICIO, I. ANDREA SCHMIDIO & aliis compluribus, qui examinatis ad antiquitatis fidem eorum argumentis, incautioribus errandi viam salutari consilio praecluserunt. Tametsi vero illa sunt eiusmodi, ut eo faciant fidei minus, quo magis affirmant, sunt tamen, qui parum firmo ipsorum fundamento nixi, vel ineptissima vanitatis portenta tueri acriter contendunt. Qui sane audax & temerarius antiquitatis non verae defendendae conatus, maximam labem aspergit doctrinae coelesti, nervum fidei incidit & debilitat, positos extra Ecclesiam in perfidia indurat, levis autem ingenii hominibus cavillandi aut plane nihil credendi occasionem praebet. Omitto hic, quae excitandi magis in aliis ardoris ergo pia nec infensa adeo excogitavit simplicitas, aut, quae ignorantia antiquitatis & artium bonarum in miracula vertit, quorum exempla manifestae vanitatis plena, non pauca occurrunt, ac peritioribus risum iuxta & bilem movent. In quorum numerum etiam referendi sunt errores & crassi satis & inepti, quos peperit artificum licentia pingendi. Tanta enim fuit aliquando ruditas temporum, ut nec recta saepe esset intelligentia pictarum imaginum, & quae pictoris vaga nugandi temeritas mentisque error expresserat, in meram veritatem verteretur. Neque hic etiam bona interpretatio mendaciis fabulisque praesidium conciliat, neque fictus nugarum cumulus mentes flectere ad religionis sensum valet, quando rectiora intelligentibus mera iocandi materies est. Quod si vero, qui auro a sordibus purgando operam impendunt, non minus sibi devinciunt alios, quam qui offerunt coronarium, ita, qui tricas veritati utplurimum affines in aperto collocant, ipsius veri quam optimi aliquando custodes sunt habendi. Hi enim sedulo cavent, ne, sicut insecta petulanti ambitu nitidas deformant tabulas commaculando, elegans narrationis verae compages simile a nugatoribus faciat damnum. Quare etiam nobis iam in mentem venit cogitare de eiusmodi rebus, cum perpessionis cruentae a Salvatore nostro Sanctissimo libere ac sponte susceptae recordamur. Parum dixerit, si quis Eruditorum affirmare vellet, nihil hic occurrere eiusmodi incerta-

rum

rum pariter & fictarum narrationum: placuit iam adducere nonnullas, quae disceptantium conatu fere ad fastigium surrexerunt veritatis, ingenii cultioris iuvenibus discutiendas. Suffragium, ut opinamur, ferent iisdem omnes iudicandi facultate pollentes, rectique amantes, quando ipsi declamaturi operam dabunt, ut firmas de sanctissima historia, exemptis omnibus dubitandi scrupulis, sententias animis infigant. Id autem negotii, dum peragendum pro viribus unice incumbent, rogatos omnes & singulos, ut conatibus hisce faveant, volumus, eaque qua decet ac par est animi observantia & cultu invitare Magnif. & amplis. BVRGGRABIVM REG. PRAESIDEM, PRO-CONSVL. CONSS. & SCHOLARCHAS: experientiss. PHYS. & MED. pl. Reverendos V. D. M. Spect. Iudiciorum CONSESSVM, aliosque literarum amantes, ut sua praesentia benevolentiaque iuvare hos & pios & legibus convenientes labores minime detrectent.

Syllabus Dicturorum.

I CHRISTIANVS CLOSMAN, *Thorunens.* De variis nummis formam Christi repraesentantibus, quorum mentio iniicitur apud Hottingerum, Waserum, Morinum, Conringium aliosque, disquiret & ostendet oratione marte proprio elaborata, testimonio eosdem destitui antiquitatis.

II. PAVLLVS DVSTERWALD, *Dantis.* Verba faciet de variis sententiis, quae sunt de morte Iudae Ischariotae, a se diligenter collectis.

III, SAM. THEODORVS SCHOENWALD, *Thorun.* Dubia de Veronicae sudario argumenta excutiet ac de conflictu, cui lacryma Christi in Gallia custodita, ante aliquot annos dedit inter Io. B. Thierium & I. Mabillonium doctissimos viros, orationem a se compositam recitabit.

IV. DANIEL FVCHS, *Elbingens.* Incertas de forma Christi narrationes sedulo conquisitas enumerabit.

V. GEORG. IANTCKE, *Furstenberg. Lusatus,* Oratione complexus est incertas quaestiunculas de collecto a B. Maria Virgine sangvine & aqua ex latere Christi perfosso saliente.

VI. IACOBVS HOEPNER, *Thorun.* De Lancea militis perfodientis Christi latus & eius nomine sermonem habebit.

VII. AO. FRID. BAVMGART. *Thorun.* Prologi loco Auditorum benevolentiam & studium audiendi declamaturis conciliare conabitur.

VIII. MICHAEL FRIDERICVS LAXDEHN, *Dolsted. Pruss.* Gratias Auditoribus decernet & sua & aliorum nomine aget, pietatem porro bene precandi Patronis & Fautoribus approbaturus.